



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Maximiliani Sandaei E Societate Iesv Doctoris  
Theologi Architectvra Christiana**

**Sandaeus, Maximilianus**

**Coloniæ Agrippinæ, 1653**

R. R. Coloniæ Agrippinæ Parochis, Evangelii D. N. Iesv Christi  
Concionatoribvs.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46065](#)

R. R.  
COLONIÆ AGRIPPINÆ  
PAROCHIS,  
EVANGELII D. N.

I E S V C H R I S T I  
C O N C I O N A T O R I B V S .

*De Operis Inscriptione, Vsu, Methodo,*  
MAXIMILIANVS SANDÆVS

*Omnibus & Singulis*



OSTQVAM THEOLOGIAM SCHO-  
LASTICAM, illam disputatricem subtili-  
tatis rigentem desij publicè profiteri in  
Gymnasio Theologico ex cathedra (anni sunt  
plus minus XXXVI.) nunquam adfectum erga  
illam deserui, nec deserturus sum quam diu  
spiritus hos reget artus. Quocirca in prælectionibus sacris & Con-  
cionibus ad Academicos Litteratosq; habitis, quibus Superiorum  
iussu & genio impellente multis deinde annis me addixi, quicquid  
penè protuli, & postea lucubrationibus expressi, nomine THEO-  
LOGIA signavi. Siquidem conatus sum Argumentum quod-  
cumque, quamvis infimæ sortis, vt est Grammaticale, ita pertra-  
ctare, vt supponendo fundamentum Theologicum, vel inferendo  
nonnulla, quæ ex Theologia arcu lisseruntur, & res fidei ac mor-  
rum solide confirmant, ad aliquam Theologia speciem referri pos-  
sit. Sunt enim Theologia species varie. Quæ varietas sumitur ex  
diuer-

## COLONIENSI.

diuersâ methodo & charâctere pertractandi res Diuinas, quas Scientia Theologica ceterarum Artium & Scientiarum Regina ac Modimperatrix considerat: sunt autem iste.

I. CATECHISTICA. Propria Catechistarum & Catholiconorum, qui per eam initiantur elementis Religionis, & Mysteria Fidei viua vocis ministerio à manuductoribus suis accipiunt. In eâ versatur Libellus vnu meus: de Oratione Dominicâ, & a ter, de Salutatione Angelicâ.

II. POSITIVA. Quæ ponit fundamenta fidei, & Ecclesiæ, quatenus in Sacra Scriptura continentur, ac ineorum explicazione occupatur; tradens sensum, tum literalem, seu Grammaticalem, per Historiam, Ætiogiam, Analogiam, Parabolam; tum Spiritualem, seu Mysticum, inuestigans Allegoriam, Tropologiam, Anagogicam. Huius Theologiae specimen aliquod in omnibus meis Concionibus ac libris eatenus editis est cernere.

III. SCHOLASTICA. Quæ in Scholis traditur. Et rationibus, argumentisque probat, atque explicat, quæ sunt Fidei. Hanc traxi libris IV. Prologomenorum Theologiae Scholastice. Quos subsequuntur Opuscula Theologica non pauciora; quam sunt Tractatus capitales in Theologia Scholastica de DEO, Diuinisq[ue].

IV. CONTROVERSIALIS. Quæ est Polemica, ac Galata, defendens doctrinam Christianam ac Catholicam contra oppugnantes aduersarios. Hanc produco, tum libris IV. Controversiarum Hollandicarum, qui Hydrus inscribuntur, & illi annexis libellis; tum in Castigatione Conscientiae Iesuiticae cauteriata in cōtrouersijs Fidei; tum in Volumine primo Cōmentationū Academicarum, inscripto, Grammaticus Profanus, in quo de Controuersijs fidei, ac Sacra Scriptura, deque Vitijs & virtutibus à Theologo Grammatico disputatur, contra Grammaticos aut nostri profanos, ad usum & cautelam Litteratorum; tum in alijs quibusdam eius generis Opusculis & Tractatibus aduersus hæreticos scriptis.

V. CA-

## CLERO PASTORALI.

V. CANONICALIS. Quæ versatur circa Regulas Fidei & Morum, ut sunt Canones Ecclesiæ, Conciliorum decreta, Ponificum responsa, Synodorum pronunciata, ac similia, quorum frequens est allegatio & explicatio in meis libris partim editis, partim edendis.

VI. CASISTICA. Theologia Moralis circa Conscientia Casus occupata, quam nunquam dum usus fert, desiderari patior in scriptis meis.

VII. MYSTICA. Quæ est contemplationi dedita, eam docens, quæ Theorica, exercens, quæ Præctica. Quam tribus libris exposui. Quibus adiuncta est Clavis Mysticæ: Elucidarium: Onomasticon ordine alphabetico.

VIII. DEVOTIONALIS. Ita populariter voco illam, quæ docet Deuotionis exercenda modos varios, in vita spirituali fideles cuiuscunque conditionis instruens. Quam Centurys x. de CHRISTO CRUCIFIXO HONORATO, & Opusculis Marianis de B. MARIA V. pluribusque alijs libellis persequutus sum.

IX. HISTORICA: Quæ etiam CHRONOLOGICA. Cuius imago apparet, tam in Opere, quod distinxi per quatuor Monarchias, Assyriorum, Persarum, Græcorum, Romanorum; quam in Dissertationibus diversis de Sanctis, per anni circulum coli in Ecclesia Catholicâ solitis.

X. CONCIONATORIA, seu PRÆDICATORIA. Quæ per Conciones, exhortationes, homilias, dissertationes, lectiones sacras, piasque, aut ex altiori loco, aut etiam de plano docet, afficit, mouet, & suo loco ac tempore utiliter oblectat. Porro, sub hac, quippe amplissima & longè lateque diffusa, tot sunt Theologie species subalterne, quot sunt Scientia & Artes, quarum obiectus, siue materijs vitetur suo iure Theologia ad rerum Diuinarum explanationem. Potest autem uti omnibus omnium Domina. Hinc originem habet suam.

I. THEOLOGIA MECHANICA. Quam exhibui in Volumine, cuius est Inscriptio ARTIFEX EVANGELICVS. Vbi ordine

## COLONIENSI.

ordine alphabetico recensentur: & in suis officinistum Artifices ipsi, tum ipsorum materia, ac instrumenta, quatenus Diuinis intelligendis ac explicandis deseruiunt.

2. THEOLOGIA SYMBOLICA. In qua Diuina Perfectio-nes, ac Sacro-sancta Religionis Mysteria Symbolis, id est, Notis siue signis arcani latentisque significati inuoluuntur & explicantur. Quam libris VI. expandi. Quibus adhaerent Symbola vitæ hu-manæ CXXVII. Notulis Theologii illustrata. Item libri IIX. Symbolorum Mortis. Denique Symbola Mariana, per Tomos aliquot distributa, & proprijs commentationibus exor-nata.

3. THEOLOGIA GRAMMATICALIS. Quæ desumpta materiâ ex argumento Grammatico, Poëtico, Rhetorico ad mores informandos idoneo, erudit Sapientia humana Diuinâq; ad-dictos ad Pietatem. Quod conatus sum facere in Pædia Aca-demici Christiani. Quæ etiam inscribitur: Palæstra Pietatis eruditæ; & Grammaticus Christianus. Item, in Volumine, cuius est titulus Litteratus Christianus.

4. THEOLOGIA PHILOSOPHICA. Quæ Philosophia partes omnes, Logicam, Physicam, Metaphysicam, Ma-thelin, eiusque species ad Diuina cognoscenda, meliusq; percipienda, quo Dei cultum, & cœlestium amorem promoueat, adducit; è profanis tamen prius factas sacras & Christianas. Quod facere tentâui in volume sat vasto, cuius est inscriptio, PHILOSO-PHVS CHRISTIANVS: seu PHILOSOPHIA CHRISTIA-NA: In eodem Seclæ Philosophorum ad mores Christianos trans-formantur, vt dicatur esse secundum scitâ Theologica, Academi-cus Christianus, Peripateticus, Stoicus, Pythagoricus, Epicureus etiam sano sensu, & Cynicus Christianus.

5. THEOLOCIA IVRIDICA. Quam libris omnino sex expreßam, & Concionibus aptam in publicum emisi.

6. THEOLOGIA MEDICA. Quam libris IV. complexus sum, & edidi, Concionatoribus Euangelicis perquā utile, vt r̄bar.

7. THE-

## CLERO PASTORALI.

7. THEOLOGIA MILITARIS. Militiam Christianam, Spiritualem, Mysticam, Moralem Libri xxiiii. qui in quatuor Tomos distributi sunt, scriptam & explicatam ad usum Concionatorum representans.

8. THEOLOGIA ARCHITECTONICA. Quae Architecturam, Mysticam, Moralem, in Sacra Scriptura delitescentem ob oculos ponit, & Aedificandi Artem, qua propria est, certe esse deberet PAROCHORVM varijs Opusculis secundum materiæ diuersitatem, complectitur. Quam proinde vobis inscribo, VIRI REVERENDI, quorum est Aedificare non solum alterutrum, sicut facitis, sed etiam &, maximè, subditos gregem vestrum. Quilibet vestrum dum Auditoribus suis loquitur ad Aedificationem Ecclesiam Dei AEDIFICAT. Vos DEI Adiutores & cooperatores estis, quibus ARCHITECTI nomen & munus conuenit, quia Principi Architecto operam locatis, ut minus primarij, Architecti tamen & ipsi, ut Doctor Gentium per Gratiam DEI, quæ data est vobis.

FELIX Colonia Agrippina hoc quoque nomine, & digna encomio, non tantum propter vetustatem, venustatemque, propter magnitudinem sacram & profanam, propter decora penè innumerata, verum etiam & multo magis propter Ordinem amplissimum Parochorum Urbanorum, cum præcipua dignitate & potestate, quos idcirco aliqui Columnis & Montibus Sanctis, quibus suffulta Sanctæ Coloniae fides annunciatur per uniuersum orbem, comparant, ego ARCHITECTIS, Fundamento, quod est CHRISTVS, superaedificantibus. Sunt autem huiusmodi Ecclesiæ Aedificatores omnino undeivinti ad numerum Basilarum Parochialium, quibus præsident, dicti PAROCHI & PLEBANI quod plebem in territoria vel regiones distributam regant. Sunt autem isti, ab Ecclesijs suis, vel locis cognominati. I. S. Columba. 2. Martini. 3. Laurentij. 4. Albani. 5. Petri. 6. B.M.V. in Littore. 7. Lupi. 8. Iacobi. 9. Ioannis Baptiste. 10. B.M.V. Indulgetiarum. 11. S. Pauli Apost. 12. Marie Magdalena. 13. Brigidae. 14. Mauritiij. 15.

SS. Apo-

## COLONIENSI.

SS. Apostolorum. 16. Cuniberti. 17. Christophori. 18. Ioannis Euangelistæ. 19. B.M.V. in Pasculo.

VOBIS itaque VIRI REVERENDI, ut præcipuis Ecclesia in Agrippina Colonia ARCHITECTIS, Volumen hoc Architectonice cū inspiciendum offero, peruvoluendum repræsento, vtendum tradonam nullare euera mihi occurrit materia Concionatoria, ad cuius tractationem non sit opportuna ac fructuosa ARCHITECTONICA CHRISTIANA, si fiat quod omnibus Verbi Diuini Doctoribus commendo, Lectione, meditatione, scriptione, dictione que familiaris.

Ita sanè mihi persuadeo.

Omnium, Euangeli secundum virtutem Dei, Aedificando collaborantium in CHRISTO IESV Seruus

Maximilianus Sandæus.

Rev. do PATRI

M. S.

ARCHITECTVRÆ CHRISTIANÆ  
SCRIPTORI  
CHRISTIANVS THVLDENVS  
EX CLERO COLONIENSI  
AD GRADVS B.M.V. CANONICVS

EPODOS.



Vì laudum generi, quæs hunc virtutibus æquem?  
O Architectum nobilem!  
Substruit, ædificat, ponit quadrata, rotunda;  
Docet struendi gratiam:  
Fundamenta locat nullis dirimenda ruinis  
Educit in Cœlum DOMOS.

En properè firmis exsurgunt molibus ædes  
Artem ferentes & operam:  
Ex auro structæ solido, viuoque ex adamante  
Hinc examusim & hinc nitent.

Nomi-